

Revisio critica Caricum borealium

in terris sub imperio Danico jacentibus inventarum;

Autore **S. Drejer**, A. M.

Caricis genus, vastissimum et non minus natura quam culpa botanicorum intricatissimum, quum jam diu optassem monographicae tractationi subicere, ad quam pro virili adminicula litteraria et herbaria collegissem, gratissimum mihi quam maxime fuit, quod J. Vahlus, oculatissimus et diligentissimus fere per novem annos floræ Groenlandicæ scrutator, collectionem suam ditissimam Caricum groenlandicarum ultro, pro sua in me amicitia et fide, tractandam mihi obtulit. Continet hæc collectio specimina numerosa et optime conservata omnium specierum in hac terra hyperborea hucusque inventarum, ita ut difficile sit, aliquid, quod majoris sit momenti, huic floræ in posterum addere. Ab initio quidem nobis visum erat, tractationem meam harum plantarum Vahlæ Floræ Groenlandicæ, quæ, quum edita fuerit, eximiam floræ arcticæ lucem afferat necesse est, inseri, quod autem postea mutatum est. Nam eodem fere tempore amicissimus Steenstrupius, ex itinere bienni Islandico redux, omnes suas plantas mihi tractandas obtulit, quum ipse in scrutandis collectionibus cæteris ditissimis, imprimis geologicis, desudaret. Hac re in mentem mihi venit, ordiri a critica omnium hujus generis specierum islandicarum et groenlandicarum revisione, adjectis simul speciebus Færoensibus, ita ut omnes perlustrarem, quæ, ex his possessionibus Danicis a collectoribus imprimis Danicis reportatæ, in herbariis Hafniensibus asservarentur. Hocce opusculo si-

mul operæ pretium duxi, synonymiam autorum Scandinavico-
rum quantum liceret revidere et purgare, ut enumerationes,
sine quibus relationes phytogeographicæ erui non possunt,
certiores redderentur, quam antea fuissent. Quod ipsum quum
cl. Vahlius humanissime permiserit, sequentibus plagulis
species omnes pro certo cognitæ faerøenses, islandicæ
et groenlandicæ enumerabo et describam, quam qualem-
cunque dissertatiunculam velim benevole excipiant botanices
et hujus generis amatores.

Ad hoc opusculum perficiendum, ut jam dixi, collectiones
Vahlianæ et Steenstrupianæ maximum et optimum
auxilium tulerunt, ceterum haud parum me adjuvit aditus
ille liberrimus, qui mihi ad herbarium ill. Hørnemanni, pro
optimi fautoris humanitate et liberalitate, botanices cultoribus
satis cognita, patuit. Eo herbario continentur non solum
plantæ fere omnes groenlandicæ Wormskjoldii, sed haud
paucæ, quas e Groenlandia retulerunt Comes a Raben et
Hollboell, ex Islandia Raben et A. Mörch, ex insulis
Færoensibus beatus Lyngbye. Auxilium simul tulerunt
collectiones, quas e Groenlandia misit am. Möller, qui
Zoologiæ caussa illam terram per triennium peragravit,
quo itinere botanicos non oblitus est amicos; eas quoque,
quas seriore tempore misit Hollboel, gratia amici Steenbergii,
apud Helsingoranos pharmacopolæ, omnes perillustrare mihi
contigit.

Prius autem, quam ipsam generis revisionem aggredior,
pauca præmittam de fontibus litterariis, ex quibus hucusque
cognitio vegetationis harum terrarum hauriri debuit, et
enumerationem conficiam omnium hujus generis specierum,
quæ his terris borealibus ab autoribus adscribuntur, ut uno
conspectu colligi possit, qualis

fuerit status Caricologiæ borealis, ante quam videamus, qualis nunc haberi debeat.

De Caricibus *Færoensibus* primus tractavit Landt (Forsøg til en Beskrivelse over Færøerne. Kjöbenh. 1800. p. 210) qui modo 5 species harum insularum recenset. Ex his tres iterum enumerat Hornemann (Forsøg til en dansk oeconomisk Plantelære. Ed. 3. P. I. 1821. p. 917—954.) Postea Trevelyan (On the vegetation and temperature of the Faroe Islands. Ed. in 4to, p. 6—7) 14 species enumerationi suæ inseruit. In eo supplemento, quod in posteriore volumine operis supra citati Hornemanni (Oecon. Plantel. II. 1837. p. 266—278) invenitur, numerus Caricum faerøensium, ope herbarii Lyngbyei, ad 21 species auctus est.

Primus floræ *Islandicæ* indagator fuit Koenigius, qui incepta "Flora Danica" ad hanc insulam missus est, ut plantas huic operi colligeret, quod annis 1764 et 65 haud infauste perfecit. Quum postea botanices ille scrutator diligentissimus, patria relictæ, Indiam orientalem petiit, plantas suas O. F. Müllero reliquit, qui hisce adminiculis adjutus "Enumerationem stirpium in Islandia sponte crescentium" confecit et "Novis Actis phys. med. Acad. Caes. Leop.-Carol. naturæ Curiosorum" T. IV. 1770, p. 203—215, inseruit, qua 24 species Caricum nudis nominibus enumerantur. Hæc est prima florula Islandica, quæ mihi innotuit, sed parum cognita videtur, ita ut nonnullæ species serius detectæ esse dicantur, quæ apud Müllerum jam inveniuntur, v. c. C. atrata. Quum postea cl. Zoëgæ oblatum est, floram islandicam ad itinerarium Olafsenii et Povelsenii (Reise igjennem Island. Sorö 1772, T. II. app.) conscribere, enumeratione Mülleri pro basi quidem usus est, sed simul "ope herbarii et manuscripti a

Koenigio relictis" nomina quædam addidit, quibus forsitan non semper magna fides habenda est, quum, ut videtur, nomina ab inventore obiter in diario descripta et serius, plantis diligentius examinatis, deleta, sine examine critico enumerationi suæ inseruerit. De Caricibus interdum illud non valet, flora Zoëgæ enim modo 21 species completitur, quum, nescio qua ratione, *C. atrata*, panicea et globularis omissæ sint. — Major fides forsitan optimo Mohrrio habenda est, qui (Forsög til en islandsk Naturhistorie. Kjöbenh. 1786) non solum nomina Zoëgæ exscripsit sed etiam haud raro annotationibus adjectis certiores nos fecit, quas ipse species observaverit. Quum non nisi 22 species Caricum habeat, recensio originalis Mülleri ignota ei videtur. In enumeratione infra sequente littera K indicantur eæ species, quas ex sola Koenigii (h. e. Zoëgæ) autoritate recepit. Porro comparanda est enumeratio Hookeri, quæ est in itineralio Mackenziei (Travels in the island of Iceland. Edinb. 1811. p. 426), et in qua numerus Mülleri (24) restituitur; quum autem index originalis non fuerit collata, *C. atrata* pro nova cive editur; *C. ampullacea* sola verum est additamentum. — Cl. Hornemann in priore operis citati volumine species a jam laudatis autoribus nominatas, non paucis tamen omissis, refert, adjectis simul nonnullis, quas ex relatione Mörchii et Rabenii habuit; numerus specierum islandicarum ab eo relatarum 20 est; in supplemento voluminis posterioris nullæ adduntur. — In enumeratione illa compilatoria, quæ in opere Gliemanni (Geographische Beschreibung der Insel Island. Altona 1827. p. 147) est, omnia nomina ab aliis autoribus allata mixtim collecta sunt, sed sine ulla *κρισις* et plantarum cognitione. Scilicet ad hanc faciendam autor non solum usus est fonte genuino Hookeriano, qui itine-

rario Mackenziei insertus est, sed simul epitome ista ridicula, quæ in versione germanica (Bertuch neue Bibliothek der wichtigsten Reisebeschreibungen, Zweite Hälfte d. ersten Centurie. I. Bd. Weimar 1815. p. 513) invenitur et quæ modo satis inepto atque vituperando facta est. Ex hac enumeratiuncula temere excerptæ sunt: *Holcus glaucus*, *Scabiosa alpina*, *Carum arcticum*, *Euphrasia danica* et *hirsuta*, *Cobresia ampullacea*, *urens*, *herbacea* cet., quas nemo sane erueret, nisi ex editione originali sciret, eas intelligi *Poa* glaucam, *Plantaginem* alpinam, *Juncum* arcticum, *Cochleariam* danicam, *Cardaminem* hirsutam, *Caricem* ampullaceam, *Urticam* urentem, *Salicem* herbaceam cet. Quum autem hæ plantæ veris quoque nominibus enumerentur, facile colligi poterit, quanta fides tali opusculo habenda sit, ad cujus characterem definiendum hoc quoque afferam, quod omnia cryptogama, sub "Phytozois" comprehensa, a ceteris plantis toto regno animaliseparantur. Enumeratio autem hæc, 37 nomina complectens, quamvis pessima, tamen conferri debet, quum ibi omnes species a Mörchio determinatæ enumerentur, ab ipso autore communicatæ. — Hi sunt, qui de islandicis plantis tractant. Ceterum in caricographia eximia *Sckhuhriana* (Handbuch. IV. 1808. p. 114) species paucæ enumerantur, quæ ex Islandia a Koenigio reportatæ esse dicuntur, et quæ alibi inter cives Islandicas non recensentur.

Prima plantarum *groenlandicarum* index ill. Schrebero debetur, qui specimina a missionario Crantzio lecta determinavit, et cujus flora Groenlandica exstat in "Fortsetzung der Historie von Groenland von David Crantz. Barby 1770" — quæ tamen non nisi unicum hujus generis speciem continet, *C. cæspitosam*. Cl. Hornemann in priore volumine operis citati 13 species enumerat, præ-

cipue a Wormskjoldio collectas. Gieseckius serius v. eodem forsitan tempore non nisi 5 nomina habet (Art. Greenland in Rees Cycl.). In posteriore volumine (1837) cl. Hornemann, collectionibus Hollboellii et imprimis I. VahlII adjutus, seriem Caricum groenlandicarum nominibus 25 adauxit, ita ut in ejus flora 38 species huic terræ adscribantur; in quo autem dolendum est, quod vir celeberrimus nomina omnia, quæ peregrinator indefessus, omni fere instrumento litterario in illa terra gelida destitutus, obiter in schedulis descripsit, sine ulteriore plantarum missarum examinatione enumerationi suæ inseruit, quo factum est, ut multæ falsæ species pro groenlandicis enumerarentur. — In Caricographia cl. Boottii (Hooker flora boreali-americana. Vol. 2. London 1840. p. 207—228. tab. 207—226) non paucae species groenlandicæ enumerantur, maximam partem secundum relationes aut collectiones Hornemanni determinatæ. In illa autem caute distinguendum est inter hæc citata: "Greenland. Hornemann in herb. Hook.," et "Greenland. Hornemann." Prius citatum indicat, specimina Hornemanniana a Boottio esse comparata, posterius autem, plantam ex relatione Hornemanni tanquam groenlandicam esse allatam. — Secundum his igitur autores flora groenlandica 45 species Caricum continet.

Remotis homonymis et iis, quæ certo pro synonymis haberi possunt, hæc index species hucusque tanquam faeröenses, islandicas et groenlandicas cognitæ ordine chronologico continebit:

1. *Carex dioeca* L.

Færö. Landt. Hornemann I. Trevelyan.

Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann

I. Gliemann.

- Grönland. Giesecke. Hornemann II.
2. *C. Wormskjoldii* Hornem.
Grönland. Hornem. I. Boott.
3. *C. pulicaris* L.
Færø. Landt. Trevelyan. Hornemann II,
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornem. I.
Gliemann.
- Grönland. Hornemann II.
4. *C. pauciflora* Ligthf.
Island. Schkuhr.
5. *C. microglochin* Wahlenb.
Island. Gliemann. (Mörch).
Grönland. Hornemann II. Boott.
6. *C. Hepburnii* Boott.
Grönland. Boott.
7. *C. capitata*. L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornem. I.
Gliemann.
- Grönland. Hornemann. II. Boott.
8. *C. rupestris* All.
Island. Gliemann (Mörch).
9. *C. obtusata* Liljebl.
Grönland. Hornemann II. (?) Boott.
10. *C. incurva* Ligthf.
Færø. Trevelyan. Hornemann II.
Island. Gliemann (Mörch).
Grönland. Hornemann II. Boott.
11. *C. arenaria* L.
Færø. Landt. Trevelyan.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Gliemann.
12. *C. chordorrhiza* Ehrh.
Grönland. Boott.
13. *C. stenophylla* Wahlenb.
Island. Thienemann.
14. *C. uliginosa* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker.

15. *C. leporina* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Gliemann.
Grönland. Hornemann II. (var.)
16. *C. festiva* Dewey.
Grönland. Boott.
17. *C. canescens* L.
Færø. Hornemann II.
Island. Müller. Zoëga. Mohr (K.) Hooker. Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
18. *C. elongata* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr (K.) Hooker. Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
19. *C. loliacea* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann.
Gliemann.
20. *C. lagopina* Wallenb.
Island. Gliemann (Mörch).
Grönland. Hornemann II. Boott.
21. *C. Heleonastes* Ehrh.
Grönland. Gay.
22. *C. glareosa* Wahlenb.
Island. Schkuhr.
Grönland. Hornemann II. Boott.
23. *C. microstachya* Ehrh.
Grönland. Hornemann I. Boott. Kunth. Gay.
24. *C. norvegica* Wahlenb.
Island. Gliemann (Mörch).
Grönland. Hornemann II.
25. *C. stellulata* Schreb.
Færø. Trevelyan. Hornemann II.
26. *C. muricata* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Gliemann.
27. *C. vulpina* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Gliemann.
28. *C. bicolor* All.
Grönland. Hornemann II. Boott.

29. *C. VahlII Schkuhr.*
Island. Gliemann (Mürch).
Grönland. Hornemann II. Boott.
30. *C. atrata L.*
Island. Müller. Hooker. Hornemann I. Gliemann.
Grönland. Hornemann. I. Giesecke.
31. *C. acuta L.*
Færø. Landt. Hornemann I. Trevelyan.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann I.
Gliemann.
Grönland. Hornemann I.
32. *C. cæspitosa L.*
Færø. Hornemann. Trevelyan.
Island. Hornemann I. Gliemann.
Grönland. Crantz. Hornemann I. Giesecke.
33. *C. stricta Good.*
Færø. Trevelyan. Hornemann II.
Grönland. Giesecke. Hornemann II.
34. *C. saxatilis L.*
Færø. Trevelyan. Hornemann II.
Island. Mohr. Hooker (sub rigida) Hornemann I. Gliemann.
Grönland. Hornemann I. Boott.
35. *C. pulla Good.*
Færø. Hornemann II.
Island. Gliemann (Mürch).
Grönland. Hornemann I.
36. *C. salina Wahlenb.*
Grönland. Hornemann II. Boott.
37. *C. subspathacea Wormskj.*
Grönland. Hornemann I. Boott. (sub phæostachya).
38. *C. bracteata Gies.*
Grönland. Giesecke.
39. *C. Hoppneri Boott.*
Grönland. Boott.

40. *C. maritima* Müll.
Island. Kunth. (Cyperogr. p. 416).
Grönland. Hornemann II.
41. *C. Lyngbyei* Hornemann.
Færø. Hornemann II.
42. *C. limosa* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr (K.) Hooker. Hornemann. Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
43. *C. rariflora*. Sm.
Island. Gliemann (Möreh).
Grönland. Hornemann I.
44. *C. livida* Wahlenb.
Grönland. Hornemann I.
45. *C. fuliginosa* Schk.
Island. Hornemann I. Gliemann.
46. *C. ustulata* Schk.
Island. Schkuhr. Hornemann I. Gliemann. Kunth (Cyperogr.)
Grönland. Hornemann I.
47. *C. glauca* Scop.
Færø. Trevelyan.
48. *C. pallescens* L.
Færø. Trevelyan.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann. Gliemann.
49. *C. capillaris* L.
Færø. Hornemann II.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann. Gliemann.
Grönland. Hornemann I.
50. *C. panicea* L.
Færø. Trevelyan. Hornemann II.
Island. Müller.
Grönland. Hornemann II.

51. *C. depauperata* Vahl.
Island. Gliemann. (Mürch).
52. *C. flava* L.
Færø. Trevelyan.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Hornemann I.
Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
53. *C. Oederi* Retz.
Færø. Hornemann II.
54. *C. pedata* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr (K.). Hooker. Hornemann I. Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
55. *C. ornithopoda* Willd.
Island. Hornemann I. Gliemann.
56. *C. globularis* L.
Island. Müller.
57. *C. pilulifera* L.
Færø. Hornemann II.
Island. Hornemann I.
58. *C. deflexa* Hornem.
Grönland. Hornemann I. Boott. (sub varia).
59. *C. montana* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr. Hooker. Gliemann.
60. *C. præcox* Jacqu.
Færø. Hornemann II.
61. *C. supina* Wahlenb.
Grönland. Boott.
62. *C. oligocarpa* Schkuhr.
Grönland. Hornemann II.
63. *C. pseudocyperus* L.
Island. Müller. Zoëga. Mohr (K.) Hornemann I.
Gliemann.
64. *C. membranacea* Hook.
Grönland. Boott.

65. *C. rotundata* Wahlenb.
Grönland. Hornemann II.
66. *C. vesicaria* L.
Færö. Landt.
Island. Müller. Zoëga, Mohr. Hooker. Hornemann.
Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
67. *C. ampullacea* Good.
Island. Hooker. Hornemann I. Gliemann.
Grönland. Hornemann II.
68. *C. riparia* Good.
Færö. Trevelyan.
69. *C. hirta* L.
Island. Müller. Zoëga, Mohr (K.) Hooker. Gliemann.
- Aggrediamur jam ipsam specierum revisionem.

Revisio critica

Caricum borealium.

I. Psyllophoræ.

1. *Carex dioeca* L.

Island! Færö (hinc specimina non vidi).

2. *C. gynocrates* Wormskj.

Spicis oblongis polygamis (aliis mere femineis, aliis androgynis apice v. medio masculis), perigyniis squarrosis subreflexis ovatis biconvexis rugosis rostro teretiusculo curvulo, squamis femineis ovatis acutiusculis masculis lineari-lanceolatis acutis, stigmatibus binis.

C. gynocrates Wormskj.! in herb. Hornem. (specim. florentia),

Cobresia scirpina Hornem! in fl. Dan. 1. 1529! bona (ad specim. florent. facta).

C. nardina Hornem nomencl. fl. Dan p. 74.

Carex pulicaris Hornem! Plantel. Ed. 3. II. p. 267. (specim fructif.)

C. rupestris Sommerf! in herb. Hornem. (e Saltdalen).

C. dioeca? Giesecke.

C. dioeca ♂ Cham.? in herb. Hornem. (e Kamtschatka).

Grönland Wormskj.! (flor.) Vahl! (fructif.)

C. dioecæ proxime accedit, et ab hac non tam recedit statu polygamo, quam aliis notis. Inveniuntur enim, quamquam rarius, specimina *C. dioecæ*, quorum spicæ masculæ basi flore uno alterove femineo instructæ sunt (cfr. Sommerf. suppl. fl. lapp. p. 38., Kunth Cyperogr. p. 369; Ej. fl. berol. II. p. 331., Drejer fl. hafn. exc. p. 285; Hartman Skand. Fl. Ed. 3. p. 213); — et in herbario Hornemanni adest specimen masculum a Chamisso in Kamtschatka lectum nomine *C. dioecæ*, in quo omnes squamæ ejusdem formæ sunt, quam habent squamæ ♂ *C. gynocrate*, quod ideo videtur forma mere dioeca hujus speciei (fem. non adest). Radix quoque, folia et culmus omnino ut in *C. dioeca* sunt. Sed præter rationes sexuales, quæ fortasse minoris sunt momenti, *C. dioeca* a *C. gynocrate* differt: perigyniis subarrectis, plano-convexis, ovatis, validius et magis regulariter nervosis, in rostrum longius applanatum attenuatis et margine distinctius scabratissimis (scabrities cæterum in *C. gynocrate* quoque adest, sed rarior et obsoletior); squamis femineis ovatis obtusis, masculis oblongo obovatis obtusis. — In *C. gynocrate* rostrum respectu inferioris partis perigynii brevius est, perigynium subgibbum, caryopsis ovali-obovata, stylo robusto terminata qui rostrum vix egreditur, stigmata elongata flexuosa.

Nescio qua levitate autores, ab ipso cl. autore seducti, figuram Fl. D. 1529 ad Cöbresiam scirpinam citent, quum satis bene Caricis notas repræsentat.

3. *C. Wormskjoldii* Hornem.

C. scirpoidea Mich. fl. bor. am. II. (1803) p. 171. Boott. in Hook. fl. bor. -am. II. p. 208.

C. Wormskjoldii Hornem. in fl. Dan. t. 1528 (1816) Plantel. Ed. 3. I. (1821) p. 918. Torrey and Schwein. monogr. in Ann. Lyc. New-York. (1825) no. 3.

C. Michauxii Schwein. Anal. table in Ann. Lyc. N.-Y. I. (1824) 64. Kunth. Cyperogr. (1827) P. 422.

Grönland! Wormskj. Vahl.

Culmi longitudine variant a pollicari ad fere bipedalem. Folia plerumque culmo breviora sunt; quum marcescunt in fibras numerosas fragiles dissolvuntur. Spica ♂ clavæformis obtusata apice densiflora, basi sæpe valde rariflora, ita ut flos infimus non raro quasi spicula altera rudimentaria, squamâ elongata acuminata bracteæformi obducta, appareat. Sed sæpe spicula altera vera adest, infra femineam feminea, infra masculam mascula, bractea setacea fulta, sæpe quoque adest modo bractea elongata sterilis (cfr. Fl. D.), quæ culmo plerumque brevior est, nisi in medio culmo sita est, tum enim culmum fere superat. Forma squamarum ♂ variat ab obtusa ad acutam. — Forma singularis adest ex sinu Baals Revier, quæ habet spicas ♂ non clavæformes sed utrinque attenuatas apice acutas, habitu cæterum immutato.

4. *C. nardina* Fries.

Spica ovata v. ovali densiflora apice mascula, squamis ovatis obtusiusculis fructu subbrevioribus, perigyniis ovatis ellipticisve stipitatis nervosis angulis scabridis, rostro terete ore hyalino-bilobo, stigmatibus binis.

C. nardina Fries, novit. fl. svec. mant. 2. (1839) p. 55.
(excl. synonym. Hornem.!)

C. Hepburnii Boott, in Hook. fl. bor.-am. II (1840) p.
209 tab. 207.

Grönland! Vahl.

Habitus suum servans haud parum variat hæc species. Culmi 1-3pollicares, stricti v. curvati; spica brevis subrotundo-ovata, v. ovalis, v. elliptica; dispositione sexus vergit ad dioeciam, quum flores ♂ aut paucissimi sunt ita ut vix conspiciantur, aut numero flores ♀ fere æquent; perigynia plerumque eximie stipitata, rarissime estipitata, elongata utrinque attenuata aut ovata, rostrum longius breviusve, sed semper hyalino-bilobum (non vere bidentatum). Squamæ longitudine nonnihil variant.

Quin synonyma allata huc pertineant vix dubito, quamquam descriptiones haud plane quadrant. — Descriptio cl. Friesii brevis quidem est sed characteristicam (v. c. forma spicæ et perigynii), et comparatio ejus cum *Nardo* stricta optima. Sed de scabritie perigynii, quæ fere semper evidentissima est, et foliorum tacet observator ille acutissimus; rostrum perigynii bidentatum dicitur, culmi vix pollicares, flores utriusque sexus circiter tres, cet. Si autem scabritiem perigynii prætervidemus, cetera facile in specimina depauperata nostræ speciei quadrant. Figura cl. Boottii bene habitum nostræ plantæ exprimit, sed descriptio perigynii et analyses depictæ non satis correctæ. Quum autem dicat, specimina *C. Hepburnii* groenlandica a Hornem. Hookera missa esse, nec ullam aliam huic similem plantam e Groenlandia habuerit cl. Hornemann, vix de identitate dubitare licet. — Nomen cl. Friesii antiquius est et optimum, quare hoc prætuli, quamquam cl.

autor in synonymo allegando erravit, ab ipso Wormskjoldio ut videtur seductus.

5. *C. rupestris*. All.

Grönland! Vahl! (Ex Islandia specimina non ad-sunt).

Præcedentis more ad dioeciam vergit, quum aliæ spicæ fere totæ femineæ sunt, floribus masculis paucissimis apice instructæ, ovato-oblongæ, aliæ lineares basi floribus 1—3 femineis instructæ. De cætero excellit stylo valido ex ore amplo integro longe exserto; squamæ femineæ inferiores sæpe perigynio multo breviores sunt; perigynia interdum superne nervis hispida.

Fig. Fl. D. t. 1401. mihi potius ad *C. obtusatam* Liljebl. pertinere videtur.

6. *C. capitata* L.

Island! Grönland!

7. *C. pulicaris* L.

Færö! Trevel! (sub Cobres. scirp.) Lyngby!

8. *C. pauciflora* Ligthf.

C. pauciflora Hornem, l. c. p. 919. Fl. Dan. t. 1279.

C. pulicaris Mohr. Isl. Naturh. p. 211. no. 295?

Island. Schkuhr Handb. IV. p. 114.

Plantam Mohrii huic synonymam habeo quia addit: "*C. capitata* admodum similis," quæ verba, quamquam non optime, melius tamen in hanc florentem quam in *C. pulicarem* quadrant. Sed nisi Schkuhrius ipse *C. paucifloram* islandicam esse declarasset, ego certe potius credidissem, Mohrium *C. microglochin*, in Islandia non raram, ut *pulicarem* determinasse.

9. *C. microglochin* Wahlenb.

C *microglochin* Wahlb. fl. lapp. p. 224. Hornem. l. c. p. 919. Fl. D. t. 1402 (minus bona). Fries herb. norm. fasc. 3, no. 85.

U *uncinia microglochin* Spreng. Syst. III. (182.) p. 830. (cfr. Zuccarini in Flora bot. Ztg. 1827. 1. p. 119.)

U. *europæa* Gay in Flora bot. Ztg. 1827 I. p. 26.

Island! Mörch. Steenstrup. Grönland! Vahl.

10. *C. ursina* Dewey.

Spica subrotundo-ovata basi mascula, perigyniis stipitatis ovalibus brevissime rostellatis ore subemarginato, squamam subobovata obtusam subsuperantibus, stigmatibus binis.

C. *ursina* Boott. in Hook. fl. bor.-am. II. p. 211, tab. 210. (Descriptio Deweyana mihi ignota est).

Grönland! Vahl.

Perpauca modo specimina a cl. Vahlia reportata sunt. Radix fibrosa cæspitosa. Culmi decumbentes v. adscendentes subhipollicares inferne foliati, subtrigomi, lævissimi. Folia culmum subæquantia involuta, scaberrima. Spica bracteâ membranacea obcordata ex emarginatura mucronata v. rarissime setaceo-foliatâ fulta. In paucis speciminibus spica altera quasi rudimentaria ad basin spicæ terminalis adest. Perigynium eximie stipitatum, obsolete nervatum, brevissime rostellatum ore subbifido, flavescens. Squamæ subobovatæ atrovioleæ nervo dorsali viridescente infra apicem evanescente. Caryopsis immatura subobovato-oblonga fusca.

Si quis diceret, hanc speciem esse formam depauperatam speciei alicujus spica composita instructæ, haud adeo ab ea sententia abhorrerem, quum nonnulla specimina rudimentum spicæ alterius habeant; non autem acutissimo

Vahllo assentior, qui eam formam depauperatam esse *C. glareosæ* (cum ea mixtim quidem crescentis) habuit; hæc enim differt culmo superne scabro, perigyniis ellipticis utrinque attenuatis rostratis distincte nervatis, squamis brevioribus.

II. Vigneæ.

A. Spiculæ apice masculæ.

11. *C. incurva* Ligthf.

C. maritima Gunn. fl. norv. 1017.

C. incurva Hornem. l. c. p. 920. Fl D. t. 432. Trevel
Faroe Isl. p. 6.

C. arenaria Mohr. isl. Naturh. p. 212. Landt Beskr. over
Fær. p. 210 Trevel. l. c.

C. stenophylla Thienemann Reise in Island II. 46.
Færö! Island! Grönland!

Veteres hanc haud dubie ut *C. arenariam* determinarunt, quæ propterea inter plantas boreales enumeratur; *C. incurva* autem agnita botanici seniores temere etiam veterum nomen exscripserunt, quo factum est, ut planta bis enumerata sit.

12. *C. duriuscula* C. A. Mey.

C. duriuscula C. A. Meyer Cyp. nov. in Mém. prés. a
l'acad. imp. d. sciences de St. Petersb. I. (1831) p. 214.
t. 8. Kunth Cyperogr. p. 374.

Grönland! Vahl.

Paucissima modo et florentia hujus speciei specimina legit Vahlus. De identitate non dubito, quia melior descriptionis Meyerianæ pars bene in nostram plantam quadrat, v. c. culmi erecti, spica subovata, squamæ late ovatæ margine hyalino-albida, perigynia superne marginibus hirtello-

asperula. Leviores differentias præbent spica ex spiculis saltem 5 (non 3-4), composita squamæ omnes obtusæ (non femineæ acutæ). Quod in perigyniis tam immaturis et exsiccatione corrugatis nervorum (obsoletorum) vestigia non appareant, minoris adhuc momenti est.

13. *C. chordorrhiza* Ehrh.

C. chordorrhiza Fl. Dan. t. 1408, Hornem. l. c. p. 921.

C. uliginosa herb. M. Vahl! Zoëga isl. Mohr etc.?

Island! Steenstrup. (In Groenlandia non lecta est, quare in enumeratione Boottii l. c. delenda.)

.B. Spiculæ basi masculæ.

14. *C. leporina* L.

Färö! Lyngb. in herb. Hornem.

15. *C. festiva* Dewey.

Spica composita androgyna, spiculis subsenis ovatis in capitulum subovatum lobatum aggregatis basi masculis, perigyniis ovato-ellipticis plano-convexis nervosis margine serrulatis rostratis ore hyalino-lobato abscisso, squamas ovatas obtusiusculas superantibus, stigmatibus binis.

C. festiva Dew. in Sillim. Amer. Journal XXIX p. 246, tab. W. f. 71 (pess.) Boott. l. c. p. 215.

C. ovali affinis Hornem. l. c. II, p. 269.

C. leporina ovata Hartm. Skand. Fl. Ed. 3 p. 216.

C. ovalis subalpina Læstad! in herb. J. Vahl. (ex Lapponia).

C. polystachya Cham. (non Wahlenb.) in herb. Hornem. (ex Unalaschka).

Grönland! Vahl.

Carex leporina L., habitu proxima, differt spiculis ovalibus remotiusculis alternis, quo fit ut tota spica elongetur, squamis acuminatis perigynia æquantibus, caryopside

(quæ in *C. festiva* obovata v. obovato-elliptica) ovata. — *C. Hoodii* Boott. (l. c. t. 211) similis quidem est, sed differt spiculis apice masculis, perigyniis enerviis cct. *C. propinqua* Nees et Mey. (Kunth Cyperogr. [p. 396] valde affinis videtur, sed differt (si recte observarunt ell. autores) rostro bidentato dentibus acutatis. In *C. festiva* et affinis os rostri quidem bidentatum est, sed dentes membrana hyalina diaphana conjunguntur, quæ stylo adhuc restante obscuratur ita ut os integrum videatur; stylo autem remoto membrana diaphana facile prætervidetur, quo fit ut dentes, qui liberi vere non sunt, mere distincti et acutati videantur.

16. *C. pratensis* Drej.

Spica composita androgyna spiculis 5-7nis ovalibus alternis in rachi subflexuosa subsessilibus remotiusculis omnibus bracteatis basi masculis, perigyniis ovato-oblongis plano-convexis nervatis margine ciliato-serratis rostratis alato-submarginatis, squamis ovato-oblongis acutatis perigynio sublongioribus latioribusque, stigmatibus binis.

Grönland! Vahl.

Rad. fibrosa cæspitosa. Culm. sulcatus superne scaber v. scaberrimus, folia margine scabra paullo superans. In multis speciminibus spicula infima longe remota est, bractea longiore instructa. Stylus exertus stigmataque elongata. Caryops. ovalis v. ovata, fusca, lævis, nitida.

C. adusta Boott. (l. c. p. 215) ex descr. similis videtur, sed diff. culmo obtusangulo glabro v. superne scabriusculo, fol. dimidiam inferiorem culmi partem vaginantibus sæpe transversim corrugatis maculisque quasi adustis notatis. Ex cæteris hujus difficillimæ gregis specie-

bus affinis sola *C. scoparia* similitudinem quandam ostendere videtur, sed abunde differt spiculis approximatis ovatis non omnibus bracteatis, cet.

17. *C. glareosa* Wahlenb.

C. glareosa Hornem. l. c. p. 930. Wahlenb. Sv. Bot. XI. t. 645. Fries herb. norm. fasc. 3. no. 82.

Grönland! Vahl. — Island. Schkuhr (Handb. IV. p. 114).

18. *C. lagopina* Wahlenb.

α . *typica* spiculis ternis in spicam subglobosam aggregatis.

C. leporina Oed. Fl. Dan. t. 294 (mala).

C. lagopina Wahlenb. fl. lapp. p. 299. Hornem. l. c. p. 929. Sturm. Deutschl. Flora fasc. 47. Fries herb. norm. fasc. 3 no. 83!

Ex Islandia pauca specimina nec ea genuina hujus formæ reportavit Steenstrup; e Groenlandia hanc non vidi.

β . *pleiostachya* spiculis 5-6 alternis approximatis v. infimis remotiusculis.

C. leporina Zoëga Isl. Mohr. cet.

C. microstachya Hornem. l. c. I. p. 930! (Kunth enum. p. 378. Gay. in Annal. d. scienc. X. p. 307.)

C. elongata Zoëga. Mohr. Hornem. l. c. I. p. 929. (loc. isl.) II. p. 271! (loc. groenl.)

C. lagopina e Groenl. Hornem. II. p. 271!

C. norvegica e Groenl. Hornem. II. p. 271!

C. Heleonastes (quoad localitates groenlandicas et spitzbergenses) Gay. Annal. d. sc. nat. XI. p. 182.

Island! Steenstrup. Groenland! Wormskj. Vahl, (Dovre! Lindbl., Spitzbergen! Vahl).

Hæc forma, in Islandia et Grönlandia vulgarissima, admodum variat, et sæpe ita a forma typica Wahlenbergiana (*tristachya*) recedit spicularum numero et figura (in-

ter obovatam et ellipticam vacillante), sexus dispositione, (quum spicæ laterales sæpe mere femineæ, sæpe autem omnes spicæ æque androgynæ basi masculæ), ut facile crederes, speciem propriam esse. Commutatio cum *C. elongata*, si habitus externus modo respicitur, minus a ratione discrepat, *C. microstachya* autem et *C. norvegica* nimis sane distant. In tanta formarum variatione autem nota characteristicam semper servatur, quæ in spicula terminali ceteris majore et crassiore constat, et cujus ope species sine difficultate agnoscitur; transitus quoque haud paucos ad formam typicam inter specimina norvegica et lapponica observavi.

Obs. I. Cl. Gay (l. c.) *C. elongatam* groenlandicam Hornemanni sine dubitatione ad *C. Heleonastem* ducit. Nescio an forte commutatione quadam specimina alius terræ pro groenlandicis miserit cl. Hornemannus; specimina autem omnia quæ vidi, quæque fere innumera sunt, a *C. Heleonaste* certissime abhorrent, et ad *C. lagopinam* β pertinent. Cæterum distinctiones, quas affert acutiss. Gay inter *C. lagopinam* et *C. Heleonastem*, optimæ sunt, v. c. culmus in *C. Heleonaste* strictus scaberrimus, in *C. lagopina* incurvus lævis v. apice modo scabriusculus, folia illius stricta angusta, hujus plana laxiuscula, utriculi illius patuli v. saltem minus adpressi e. s. p., eique ego quoque assentior in alleganda synonymi loco *C. leporina* Schkuhr tab. Fff. no. 129. — Quin *C. leporina* Fl. Dan. t. 294, quamvis mala et incorrecta sit, ad *C. lagopinam* pertineat nullus dubito. Cl. Gay, (l. c. p. 179) in hocce synonymo rejiciendo præcipue locum natalem, quem Oederus citavit, "in pratis humidiusculis" ante oculos habuit (figura enim floris seorsim exposita, evidenter quippe neglecta, nullius omnino momenti esse ad rem dijudicandam mihi

videtur). Sed Oederus sine dubio aut locum natalem a Linnæo mutuavit ("C. leporina habitat in pratis humidioribus" fl. sv. p. 326) ut mos tum erat inter floristas, aut locum citavit quem diligit planta indigena danica (nostra C. leporina) quam a montana et boreali non distinxit, non observans, plantam depictam in alio loco crevisse. Scilicet primis "Floræ Danicæ" temporibus vegetabilia Danica digna non habita sunt, quæ depingerentur, nisi extra oras Danicas lecta essent.

Obs. II. C. Deinbollianam Gay (Ann. sc. nat. XI. p. 183; C. arcticam Deinb. in herb. Brongn. sec. Gay.) quæ botanicis borealibus ignota videtur, horum investigationi commendo. C. lagopinæ β similis videtur, sed differt spica terminali apice mascula, fructu ex ovata basi sensim longiusque attenuato-rostrato, carinis superne serrulatis, stigmatibus longissimis.

19. *C. canescens* L.

C. canescens Oed. fl. D. t. 285 (minus bona.) Rafn l. c. I. p. 464.

C. curta Hornem. l. c. p. 927.

C. curta alpicola Hornem. l. c.

C. Gebhardi Hartm. Skand. Fl. Ed. 3. p. 218.

C. foliacea Zoëga. Mohr. Isl. Naturh. p. 212. no. 301.

Island! Grönland! Færøe!

Inter C. canescentem et C. Gebhardi nullam veram differentiam invenire potui, immo ne ut varietates distinctas quidem eas separare possum. Nec habitus, nec characteres (v. c. Hoppii), nec locus separationem suadent. Longe tamen abest, quin ego, terræ planæ montibusque omnino destitutæ incola, hanc rem ex sicco decidere velim, id iis relinquo, quibus vivas plantas observare licet.

C. loliaceam Mohrii (l. c.) juvenile et gracile specimen hujus speciei duco, partim ob differentiam quam inter hanc et muricatam (stellulatam) ponit, partim quia *C. canescentem*, quæ in Islandia admodum frequens est, non nisi Koenigio autore allato quasi a se non visam enumerat.

20. *C. stellulata Schreb.*

C. muricata Oed. fl. Dan. t. 284 (mala). Mohr. isl. Naturh. p. 212 no. 300.

C. vulpina? Mohr l. c.

C. echinata Rafn l. c. l. p. 462.

C. stellulata Hornem. l. c. l. p. 928.

Færö! Island!

III. *Carices genuinæ.*

A. Perigynii rostrum subnullum v. brevissimum
v. breve ore integro pertuso v. exigue emarginato v. brevissime bidentato.

a. *Spicæ omnes androgynæ v. terminalis androgyna
reliquæ femineæ.*

21. *C. rufina Drej.*

Spicis subquinis approximatis oblongis ellipticisve terminali androgyna, perigyniis stipitatis ellipticis tenuissime ciliolato-serrulatis breve rostellatis, squamas ovali-obovatas obtusas superantibus, stigmatibus binis.

Grönland! Vahl.

Rad. fibrosa fibris longissimis, densissime cæspitosa. Culmi curvati subdecumbentes, foliis breviores angulati striati lævissimi. Fol. anguste linearia plana striata lævia apicem versus scabriuscula. Spicæ aggregatæ subsessiles v. subremotæ breve pedicellatæ, infima interdum *C. bicoloris* more a basi culmi in pedunculo longissimo erum-

pens; terminalis aut basi floribus paucissimis masculis instructa, aut basi apiceque, aut tota mascula; infima fulcitur bractea foliacea culmum multo superante, colorato-auriculata basi sæpe undulata; bract. superiores longitudine subito decrescunt. Squamæ femineæ rufo fulvæ interdum nervo dorsali viridi pictæ; perigynium immaturum ovali-obovatum stramineo-viride, rostro integro v. subemarginato; maturum ejusdem coloris sed rostro colorato, cæterum biconvexum enervium. Caryopsis ovalis subbiconvexa lævis viridiflava.

Naturali quodam modo gregem antecedentem cum hac conjungit. Habitu et spicæ forma enim *C. lagopinae* β quodammodo similis est, a qua tamen perigynio, bractea, spicula terminali, colore cet. optime differt; affinitate autem arctiore *C. bicolori* connectitur, quæ differt colore glauco, squamis variegatis, culmo superne scabro, spicis subternis, perigynio suberostri, culmis folia superantibus, bracteis minoribus et brevioribus.

22. *C. bicolor* All.

C. bicolor Hornem. Fl. D. t. 2122. Plantel. II. p. 272.

Grönland! Vahl.

Character, qui e spica inferiore basilari longe pedunculata desumitur, e diagnosi removendus est, in groenlandicis enim rarius ita se habet. De cætero inter borealem et australem plantam nulla differentia apparet.

23. *C. holostoma* Drcj.

Spicis binis ternisve, terminali mascula reliquis brevior v. deficiente, femineis duabus elongatis laxifloris subæquialtis, perigyniis subgloboso-ovalibus lævibus rostro brevissimo integerrimo, squamis ovatis obtusis perigynio brevioribus, stigmatibus ternis.

C. VahlII β inferalpina Wahlenb. fl. lapp. p. 241. Hornem. Plantel. 1. p. 944.

C. atrata β rectiuscula Hartm. Skand. Fl. p. 218?
Grönland! Vahl.

Planta nostra groenlandica exacte cum descriptione cl. Wahlenbergii congruit, sed a *C. VahlII* sine omni dubio ut species distincta separanda est, non tam propter scabritiem culmi, quæ in *C. VahlII* quoque occurrit, quam propter has notas. Radix, culmus et folia omnino ut in *C. VahlII* sunt. Spicæ femineæ vulgo eandem altitudinem attingunt, quamquam diversis locis sitæ sunt; interdum tamen inferior longe remota est et tum bractea foliacea longissima culmum superante instructa est. Ratio spicarum φ singularem habitum speciei tribuit, quo facillime ab omnibus affinibus dignosci possit. In *C. VahlII* aggregatæ subrotundæ et densifloræ sunt. Spica terminalis mascula et reliquis semper multo minor, ita ut ab his plerumque omnino abscondatur, sæpe quoque deest; in *C. VahlII* androgyna est et reliquis major. Perigynia subgloboso-ovalia (juniora modo obovata ut describit Wahlenberg.) vix tenuissime punctulata, rostro brevissimo vix ullo omnino integro lævi; in *C. VahlII* elliptica, trigona, rostrata rostro scabro subbifido, distincte micaceo-punctulata. Color perigynii viridescenti-glaucus extra squamas coloratus, v. totus glaucus rostro solo v. ore rostri sphacelato. Stylus inclusus; in *C. VahlII* exsertus. Caryopsis trigona apiculata tenuiter scrobiculata.

24. *C. VahlII* Schkuhr.

C. VahlII Hornem. l. c. I. p. 943. Fl. D. t. 403. (mala).
Fries herb. norm. fasc. 3. no. 78.

C. alpina Hartm. Sk. Fl. Ed. 3. p. 218.

C. globularis Müll. Enum stirp. isl.

C. montana Zoëga isl. Mohr isl. Naturh. p. 212.

C. pilulifera ex Isl. Hornem. l. c. l. p.

C. pedata Müllerisl. Zoëga etc.

C. ornithopoda ex Isl. Hornem. l. c. p.?

Island! Mörch. Steenstrup. Grönland! Vahl.

Spica terminalis semper reliquis major est, femineæ aut 2 aggregatæ aut tertia longe remota auctæ.

Non dubito, quin hæc planta ansam dederit ei synonymorum seriei, quam supra dedi. De sua *C. montana* Mohrius dicit: "vix tripollicaris, crescit locis elatis solo macro," quod optime in nostram plantam quadrat; Hornemannus sine dubio nomina commiscuit et pro *C. montana*, quam ex Islandia non citat, *C. piluliferam* enumeravit, quam nemo ante eum inter cives Islandicas posuit. Koenigius primus *C. pedatam* civem Islandicam declaravit; ejus tempore autem *C. Vahl*i nondum descripta fuit, et *C. pedata* male cognita, quare illam, quæ in Islandia frequens est, facile cum hac confundere potuit. *C. ornithopoda* sine dubio ex commutatione nominum ornithopodæ et pedatæ ab uno alterove compilatore tanquam Islandica enumeratur. Nulla species e grege *C. piluliferæ* et *C. digitatæ* in herbariis nostris ex his terris exstat.

25. *C. atrata* L.

Grönland! Island!

Ludit culmo omnino lævi et superne scabriusculo, spicis nutantibus et erectiusculis. Multa specimina characteres *C. aterrimæ* Hoppe præbent, sed in albis borealibus certissime duæ species non adsunt. *C. magellanica* Lam. huic quidem affinis est, sed satis differt spicis brevioribus longe pedunculatis nutantibus omnibus basi masculis, et imprimis squamis acuminatis perigyniis superne scabriusculis. Ex speciminibus a Jussieu datis in

herbario M. Vahlî, *C. filipendulæ* mihi multo propior est, et naturali modo has duas greges, *C. atratæ* dico et *C. filipendulæ*, conjungit.

b. Spica terminalis mascula, laterales femineæ v. simul apice masculæ, elongatæ, subsessiles v. infima (exceptione) basilari longepedunculata, v. omnes pedunculatæ erectæ v. florentes nutantes demum erectæ. Viridescentes v. nigricantes.

26. *C. nigritella* Drej.

Spica terminali mascula v. androgyna, femineis 2 densifloris approximatis pedunculatis arrectis infima bractea foliacea auriculata fulta; perigyniis stipitatis enerviis obsolete trigonis ovato-ellipticis squama ovata obtusiuscula sublongioribus, rostro brevi truncato emarginato, stigmatibus binis ternisve.

Grönland! Vahl.

Rhizoma crassum subrepens culmos foliaque cæspitosim emittens. Culmus triqueter lateribus striatis marginibus, aut tota sua longitudine aut modo superne, scaber immo scaberrimus, erectiusculus, foliis plerumque longior. Folia angusta linearia plana margine scaberrima, inferiorem culmi partem tegentia; summum elongatum culmum subæquans, reliqua culmo multo breviora; vaginæ membranaceæ. Spicæ femineæ plerumque binæ, rarius prope masculam tertia brevi subrotunda auctæ, inferior elongata, superiores sensim breviores et relative crassiores; infima pedunculata pedunculo scabriusculo, superiores brevius pedunculatæ v. sessiles. Bractea infima foliacea spicam suam fere duplo superans, angusta linearis scabra, auriculis minutis 2 decoloribus v. sphacelatis antice concretis. Bractea superior v. intermedia membranacea amplectens setaceo terminata. Squamæ masculæ obovato-cuneatæ

obtusæ ferruginæ margine angusto albido cinctis nervo dorsali dilutiore plerumque infra apicem evanescente pictæ; femineæ fuscatae v. atræ margine albido hyalino v. nullo, nervo dorsali tenuissimo. Perigynium viridiflavum superne v. solo ore rostri fuscatum quasi sphacelatum, tenuissime et vix conspicue granulatum. Rostrum breve teretiusculum suboblique truncatum subemarginatum. Stylus in florentibus inclusus, stigmatibus ex ipso ore rostri exeuntibus; serius elongatur, ita ut, delapsis stigmatibus, mucronis instar extra os rostri porrigatur. Caryopsis trigona obovata brevissime apiculata.

C. stylosa C. A. Meyer (Cyp. nov. p. 222. t. 12. f. 1.) pro qua olim habui et sub quo nomine cum nonnullis communicavi nostram, proxima quoque videtur; quum autem hujus specimina authentica non viderim, et descriptio non plane quadret, melius esse duxi, hanc pro tempore tanquam novam speciem describere. Nescio enim quæ res peior sit, novam plantam noto, an notam novo nomine proponere; res dubia quidem est, sed "in dubiis præstat distinguere quam confundere," et confusio modo nominum, non autem multitudo eorum evitanda est. Sed differt *C. stylosa* a nostra *nigritella* foliis punctis minutis nigris adpersis, vaginis foliorum inferiorum reticulatim dissolutis (in nostra integris; ita quoque in icone Meyeri pinguntur, major autem fides, ut opinor, habenda est descriptori acuratissimo quam pictori et lithographo), perigyniis distinctius verrucosis, rostro omnino integro nec emarginato, bracteis setaceis brevissimis. — Ex iis, cum quibus cl. Meyer suam plantam comparat, nulla notabilem similitudinem cum nostra ostendit; de *C. panicea*, livida et subspathacea sileo; *C. glauca* differt foliis glaucis, spicis ♀ multo longioribus, subclavatis, nutantibus cct., *C. cæ-*

spitosa abunde differt perigyniis nervatis, spicis magis remotis subsessilibus, stigmatibus semper binis cet.

27. *C. salina* Wahlenb.

Færö! Lyngbye.

Modo unicum specimen mancum et nimis juvenile, cæterum neququam dubium, ex hoc loco in herbario Horne-
manni asservatur. Quid sit *C. salina* Boottii e Groenlan-
dia nescio.

28. *C. subspathacea* Wormskj.

Spica mascula 1, femineis 2 breve pedunculatis ere-
ctis oblongis, bracteis foliaceis spathaceis nervosis, squa-
mis valide trinerviis basi fructum obvolventibus mucrona-
tis perigynio subelliptico plano-convexo brevioribus, rostro
brevis subemarginato, stigmatibus 2-3.

C. subspathacea Wormskj.! in Fl. D. t. 1530. Hornem.
l. c. I. p. 936.

C. bracteata Giesecke in Brewst. Cyclop.?

C. salinae forma Hartman! Skand. Fl. Ed. 3. p. 219.

! *C. salina* β mutica Wahlenb. fl. lapp. p. 246.

C. salina J. Vahl! in Hornem. l. c. II. p. 273.

C. Hoppneri Boott. l. c. p. 219. t. 220.

Grönland! Wormskj. Vahl.

Sub duplici forma imprimis occurrit.

α . stricta culmo stricto spicis plurifloris.

Rad. stolonifera culmos solitarios fasciculosque ste-
riles emittens. Culm. erectus, semipedalis, trigonus, sul-
catus, lævis. Folia culmea culmo breviora (sumum
longius) plana, striata, apicem versus scabrata. Spicæ
3. Bract. spicæ fem. foliaceæ, ea spicæ inferioris spicas
femineas superans masculam attingens sed eâ brevior, spi-
cam suam involvens, apicem versus margine scabriuscula;
ea spicæ fem. superioris spicam superans. Spicæ $\varnothing$ pe-

dunculatæ, inferior longius, superior brevius, erectæ, oblongæ. Squamæ ♀ subovatæ basi marginibus fructum involventes, dorso nervis tribus validis percursæ, obtusæ, mucronatæ, ferruginæ dorso late viridescentes margine hyalino nullo, perigynio breviores. Perigynium (immaturum) obovatum obsolete nervatum (?), rostratum, rostro brevi emarginato. Spica ♂ linearis, squamis imbricatis apice rotundatis submucronatis, cæterum squamis ♀ similibus.

Hæc forma *C. lividæ* quodammodo similis est, quæ tamen abunde differt bracteis vaginantibus, non spathaceis, squamis uninerviis cet.

β curvata caule humiliore curvulo, spicis paucifloris, squamis perigynio multo brevioribus.

Specimina hujus formæ magis adulta. Eximie stolonifera est, culmi debiles 2-3 pollicares, spicæ fem. 1-2 breve pedunculatæ, approximatae vel subremotæ, ovato-oblongæ 3-5-floræ; bracteæ longissimæ culmum multo superantes; squamæ ♀ perigynio multo breviores; perigynium (maturum) subellipticum plano-convexum prorsus enerve, rostro brevi subemarginato, stylo exserto apicato; caryopsis obovato-ovalis oblique trigona basi styli apicata.

C. subspathacea a *C. salina* bene distincta mihi videtur. Hæc a nostra differt spicis masculis pluribus, squamis femineis lanceolatis planis uninerviis perigynium superantibus, perigyniis subrotundis rostro brevissimo integerimo (non in rostrum attenuatis), bracteis planis non spathaceis, culmo scabro. *C. salina β mutica* Wahlenb. mihi ignota est; ex descriptione l. c. a nostra differt squamis (muticis) perigynia superantibus; cætera autem haud male quadrant. A vera *salina α* Whlb. nimis sane diversa videtur; Carices variabiles quidem sunt, hac variabi-

litate autem sæpe male usi sunt viri docti ad distinctas species invita natura compingendas. — *C. Hoppneri* Boott. l. c., diagnosi licet non optime quadrante, certissime huc pertinet. — Fig. Fl. Dan. t. 1530 ad frustulum plantæ quidem facta est, notas tamen characteristicas satis bene exhibet, quare mirandum sane, quomodo hæc ad *C. vaginatam* et tetanicam referri potuerit.

29. *C. reducta* Drej.

Spica ♂ 1, ♀ 2 brevissime pedunculatis oblongis erectis, bracteis inf. foliaceis nervosis subspathaceis brevissime auriculatis, squamis uninerviis basi perigynium obvolventibus mucronulatis, perigyniis subobovatis plano-convexis enerviis superne margine asperato-denticulatis, rostro brevissimo subemarginato, stigmatibus 2.

Grönland! Vahl.

Species paullo dubia, habitu *C. subspathaceæ* α proxima, a qua tamen differt culmo sæpe scabriusculo, foliis latioribus, perigyniis brevius rostratis superne (sæpe obsolete quidem) asperatis, squamis uninerviis cet. Multo arctiore vinculo ut videtur cum *C. cæspitosa*, habitu quidem dissuadente, conjungitur, sed omnino diversa est squamis mucronulatis, perigyniis estipitatis enerviis asperatis cet. — Stylus exsertus. Caryopsis obovata fusca.

30. *C. anguillata* Drejer.

Spica ♂ 1, femineis 2 longepedunculatis erectis laxifloris, omnibus æquialtis, bracteis foliaceis exauriculatis, squamis ellipticis obtusissimis perigynio stipitato ovato enervio brevissime rostellato brevioribus, stigmatibus 2.

Island! Steenstrup.

Radix stolonifera, vaginis atrofuscis tecta. Culm-
trigonus lævissimus, inter spicas modo scabriusculus. Fo-
lia latiuscula lævissima, culmo paullo breviora. Spicæ
subternæ, erectæ (an florentes nutantes?) pedunculis lævi-
bus; terminalis mascula ad basin sæpe floribus femineis
valde dissitis instructa; femineæ invicem et cum mascula
eandem altitudinem attingentes, qua nota ab omnibus affi-
nibus optime differt et cum *C. holostoma*, cæterum diver-
sissima, convenit. Spica infima ex medio culmo v. infra
egrediens; omnes cylindraceæ basi remote-, apice den-
sifloræ. Squamæ ellipticæ obtusissimæ fructu suo sub-
breviores et subangustiores, atro-fuscae, linea dorsali flavo-
viridi pictæ. Perigynium prorsus enervium brevissime
rostellatum. Caryopsis ovata lævissima, stylus longis-
simus.

Spicis gracilibus elongatis eleganter pictis planta no-
stra quibusdam *C. acutæ* formis similis quidem est, v. c.
Schkuhr. t. Fl.; hæc species autem differt perigyniis non
stipitatis, spicis pendulis, gradatis. *C. "acuta var? culmo
foliisque glabris, stam. spike l."* Asa Gray in herb. Hor-
nem., quæ ab acuta sine dubio species distincta est, si-
millima nostræ, sed multo elatior, spicis gradatis. — *C.
cæspitosa* recedit spicis densifloris subsessilibus peri-
gyniis nervosis; *C. glauca* stigmatum numero, spicis
pendulis, bracteis vaginulatis. — Dolendum, quod pauca
modo specimina a cl. inventore lecta sunt; omnia autem
characterem essentialem optime conservant.

31. *C. cæspitosa* L.

C. cæspitosa Rafn. Danm. og Holst. Flora I. p. 478. Horne-
mann l. c. I. p. 932. Fl. Dan. t. 1281. Schumacher Enum.
I. p. 269

C. tenuis Schum. ! Enum. I. p. 268.

C. Goodenowii Gay in Ann. d. sc. nat. XI. p. 194.

C. acuta Müller Enum. Zoëga isl. Mohr. l. c. p. 213, Horne-
mann. l. c. (loc. groenl.)

C. stricta Trevel. Færø, Giesecke Grönl. etc.

Færø! Island! Grönland!

Excepta *C. saxatili* hæc species difficillima est et maxime variabilis, sed in regionibus arcticis multo minus frequens, quam illa. A *C. saxatili* distinguitur præcipue perigyniis nervatis, optime monente cl. Gay, porro culmo multo tenuiore, foliis angustioribus, longioribus, laxioribus et lætius viridibus. — Ex formis abludentibus unica modo digna mihi videtur, quæ seorsim exponatur:

β elliptica, ex locis subhumidis et paludosis sinus Igalliko fl. groenl. Vahl., de qua diu dubius hæsitavi nonne speciem distinctam haberem. Excellit spicis pedunculatis pedunculis tenuibus gracilibusque, (quæ re cum *C. hyperborea* convenit), perigyniis ellipticis obsolete nervatis in rostrum elongatum pertusum attenuatis. — Cæterum habitus minus distinctus, multisque formis intermediis in vulgarem formam transiens.

Obs. I. Cl. Gay. (Annal. sc. nat. XI. p. 196) nuper conatus est probare, *C. strictam* Good. veram *C. cæspitosam* Linnæi esse; *C. strictam* Good. igitur *C. cæspitosæ* nomine designat, et *C. cæspitosam* Good. et autt. *C. Goodenowii* vocat, nomine *C. strictæ* plantæ americanæ relicto, quæ prius a Lamarckio ita dicta est, quæque a Smithio *C. virginiana* dicitur. Si verba Linnæi in Fl. Svec. Ed. 2 p. 333, comparaverimus, facile elucebit, speciem Linnæi collectivam esae, eumque sub sua *cæspitosa* etiam *C. cæspitosam* aut. recensuisse, quæ etiam in herbario ejus sub hoc nomine asservatur. Hoc probant verba ejus: "spicis ternis mascula terminali; distinguitur facile a reliquis fo-

liis angustis longis læte viridibus", quæ in *C. strictam* Good. neutiquam quadrant, quæ habet folia breviora, glauca, spicas masculas plures. Quæ autem de modo crescendi dicit Linnæus: "habitat in paludibus ubi cespitum instar turfæ et fasciculos grate virides maximos constituit," porro: "foliis in majores fasciculos natis quam in ulla alia specie," — in cæspitosam certe non quadrant. Num in *C. strictam* Good.? — Dubito; hæc enim cæspitosim quidem crescit, sed eadem habet spicas multo plures, masculas 2-4, nec folia grate viridia. Sed tertia exstat species confinis, in quam melius hæ notæ quadrant, *C. pacifica* mh. (fl. hafn. exc. p. 292) quæ spicam masculam solitariam cum cæspitibus densis foliisque viridibus non glaucis conjungit. Hæc species, quæ in peninsula et insulis Danicis minime rara est, et quam eandem ex Holsatia habeo et inter plantas Læstadii in herb. I. Vahl. vidi, in provinciis interjacentibus svecicis sine dubio non deest. Teste I. Vahl, cl. Læstadius hanc quoque, quam sub nomine varietatis *C. cæspitosæ* habet, veram Linnæanam cæspitosam ducit. — Quæ quum ita sint, quumque Linnæus sine omni dubio sub sua cæspitosa plures species (sensu hodierno) commiscuerit, minus recte mihi videtur, nomina antiqua, omnibus perspicua, commutare. Velut *C. cæspitosâ* nominata jam nemo dixerit, quæ planta hæc intelligatur, quare necesse est confusio pessima oriatur. Caveamus ne ad hanc difficillimam gregem generis difficilissimi aditum confusione nominum etiam difficiliorem reddamus, nomina enim, ut dicitur proverbio Danico, nullius sunt momenti, — modo res intelligatur.

Obs. II. Neque *C. strictam* Good. neque *C. acutam* L. ex iis terris vidi, quarum Carices in hac dissertatione describere mihi proposui, quamquam in iis omnibus

satis communes esse dicuntur. (Cfr. Hornemann l. c. I. p. 934). *C. acuta* Mohrii (l. c. p. 213. no. 312) partim ad cæspitosam, partim ad saxatilem pertinet; dicit enim strenuus ille observator: "*C. acuta* in Islandia frequentissima; crescit non solum locis demissis paludosisque, ubi elatior cæspitosaque evadit, sed quoque ad latera collium locisque elatis solo pingui et macro; ad loci rationes ita variat, ut speciem distinctam eam haberes; solo sicco et macro culmum habet brevissimum foliis multis radicalibus ad terram stratis stipatum et *C. saxatili* tum admodum similis est." — Inter specimina groenlandica ambigua autem, quæ vidi, unum singulari modo excellit, quod paucis describam. Habitus ejus *C. acutæ* est, sed *C. strictæ* more vaginæ ejus in rete fibrillosum demum fatiscunt. Culmus triquetter scaber; folia plana scabra culmo breviora; spicæ 5, ♀ 3 breve pedunculata, ♂ 2; bractea infima brevissime auriculata foliacea plana culmum superans, reliquæ angustiores; perigynia (immatura) ovali-obovata obsolete nervata breve rostrata ore integro. Neque ad *C. cæspitosam*, neque ad *C. strictam* nec ad *C. acutam* pertinere videtur; de cætero ex specimine unico judicium ferre non audeo. Lectum fuit hoc specimen in loc. subhumidis sinus Kakortok.

32. *C. stans* Drejer.

Spica mascula 1, femineis 3-6, elongatis cylindricis densifloris obtusis subsessilibus, bracteis infimis foliaceis latis planis culmum superantibus auriculatis, squamis oblongis obtusis, perigyniis (immaturis) obovatis brevissime rostellatis ore integris enerviis, stigmatibus 2-3.

Grönland! Vahl.

Radix stolonifera crassa vaginis obducta. Culmus erectus, strictus, crassus, obtusangulus v. acutangulus.

lus, lævissimus v. (raro) superne scabriusculus. Folia plana, lata, lævissima v. apicem versus margine scabrata. Spicæ 4-8, terminalis mascula, reliquæ femineæ; mascula cylindrica subclavata squamis oblongis obtusis, femineæ densifloræ obtusæ, superior interdum apice mascula, infima pedunculata reliquæ sessiles. Bractea infima longissima culmum superans, marginibus apicem versus scabris, auriculis brevissimis subamplectentibus. Squamæ perigynio multo minores, obtusæ, fuscae v. nigræ, v. perigynia superantes acutiusculæ. Perigynia obovata enervia estipitata brevissime rostellata ore integro, viridiflavæ v. apice fuscae. Stylus brevis subexsertus, stigm. 2 v. 3 elongata, flaccida villosula.

Hæc species, cujus perigynia modo immatura vidi, ex distylis *C. aquatili* et *C. saxatili* maxime affinis est. Ab illa differt foliis omnino planis latis, bracteis brevioribus, spica mascula solitaria, colore spicarum fusco v. atrato, statura humiliore. Ab hac: bracteis latis planis brevissime auriculatis culmum multo superantibus, spicis subclavatis densifloris cet. A ceteris distylis longius distat: *C. acuta* differt spicis pedunculatis pendulis acutis; *C. cæspitosa* spicis acutis, bracteis angustioribus, culmo scaberrimo, perigyniis stipitatis nervatis. *C. stricta* Good. spicis magis laxifloris acutis vaginis foliorum fibrilloso-reticulatis, cet.

33. *C. saxatilis* L.

C. saxatilis Wahlenb. fl. lapp. p. 247. Gay in Ann. sc. nat. XI. p. 187. opt.

Culmus breviusculus, crassus! trigonus v. triqueter, lævissimus v. scaberrimus, sæpe curvatulus. Folia "re-spectu brevitatis suæ satis lata"! (nec angusta ut

forsitan lapsu calami scripsit cl. Gay.) culmo breviora, marginibus sæpe recurvatis, plus minus a culmo excurvata! Spicæ ♂ 2-4 approximatae, erectae sessiles v. infima remotiuscula breve pedunculata. Squamæ ♂ ovato-ellipticae perigyniis breviores eave æquantes, obtusae muticae; perigynia oblonga v. oblongo-obovata enervia, rostro brevissimo! stigmata 2, rarius 3! — Hæ fere sunt, quæ de hacce specie variabili in univsum dici possunt, cæterum tam innumeras formas induit, ut difficillime sit, eam a speciebus affinibus tute distinguere. Formæ sequentes seorsim exponendæ mihi visæ sunt.

α (typica), rigida, nigricans culmo crassissimo rigido humili, foliis planis! latis brevibus excurvatis, spicis sessilibus approximatis auriculisque bractearum nigricantibus.

C. saxatilis Hornem. Plantel. I. p. 932. Hartmann Skand. Fl. Ed. 3. p. 220! Oed. Fl. Dan. t. 159!

C. saxatilis et *acuta* Mohr isl. [p. 213. *C. acuta* Landt? Færø.

C. arctica Cham.! in herb. Hornem.

Island! Grönland! (Norvegia! Lapponia! Riesengebirge!)

β infuscata culmo erectiore, minus crasso, foliis angustioribus, marginibus revolutis, acutioribus, erectiusculis, spicis tenuioribus laxioribus auriculisque bractearum infuscatis.

C. saxatilis Wahlenb. fl. lapp. p. 247 ex parte. Engl. bot. XXIX. t. 2047!

Færø! Island (specimina ambigua). Grönland!

Ex hac, ut mihi videtur, derivatur forma spicis multo elongatioribus basi magis rarifloris, perigyniis stramineo-viridibus, squamis obtusissimis perigynio minoribus, fu-

scis, in Groenlandia haud rara, et ad speciem sequentem accedens.

γ. pudica culmo subcurvato humili, foliis planis subarrectis marginibus subrevolutis, spicis sub4 sessilibus contiguis oblongis v. subrotundo-ovatis, stylo stigmatibusque intra perigynium omnino inclusis.

Island! Steenstrup.

δ? lutos a culmo debili curvato, foliis planis latis excurvatis, spicis brevibus obtusiusculis subapproximatis lutescenti-fuscis.

Grönland in locis humidis! Vahl.

Forma paullulum dubia, quippe quæ statione humida a ceteris recedit; nonnullis quoque *C. hæmatolepidis* et *C. hyperboreæ* formis accedit, a quibus tamen differt spicis omnibus sessilibus, squamis omnino muticis, foliis brevibus excurvatis.

c. Spica terminalis mascula, laterales femineæ v. simul apice masculæ, elongatæ v. abbreviatæ pedunculatæ nutantes. Fuscescentes.

34. *C. hyperborea* Drej.

Spica mascula 1 oblongo-lanceolata obtusa, sæpe basi feminea, femineis subtribus distantibus tenuiter pedunculatis arrectis laxifloris elongatis pedunculis scabriusculis, bracteis foliaceis angustis minute auriculatis, squamis ovato-lanceolatis obtusiusculis muticis perigynia superantibus, perigyniis elliptico-obovatis erostratis enerviis, stigmatibus 2 v. 3.

Grönland! Vahl. Island! Steenstrup. Færö! Lyngb. in herb. Hornem. (specimen unicum paullo ambiguum). (Lapponia Læstad! in herb. Hornem.)

Species hoc agmen merito ducens, inter hæmatolepidem et saxatilem media, hujusque more haud parum varians et a me non sine hæsitatione tanquam species distincta proposita. Radix crassa, stolonifera, fusco-vaginata, ut ceterarum. Culmus erectus, trigonus, lævis v. superne scabriusculus. Folia plana, erecta, culmum subæquantia. Squamæ ♂ aut atosanguineæ nervo pallido distincto infra apicem evanescente, aut fuscae nervo minus distincto. Perigynia prorsus enervia videntur, in maturis quibusdam autem nervorum obsoleta vestigia me semel vidisse fingo. Caryopsis fusca, obovata. — Notabilis forma exstat spicis ♂ elongato-clavæformibus basi valde dissitifloris, squamis obovatis rotundatis perigynio brevioribus, spica infima basilari longissime sed erecto-pedunculata.

A C. saxatili differt statione paludosa, culmo minus crasso, elatiore, foliis longioribus non excurvatis, spicis longioribus laxifloris pedunculatis, perigyniis magis obovatis rostro subnullo (quod in saxatili semper adesse mihi videtur, licet brevissimum), squamis longioribus. A C. hæmatolepide differt spicis omnino erectis, statura minus rigido, squamis muticis nervo infra apicem evanescente. A sequentibus longius distat.

35. *C. hæmatolepis* Drej.

Spica mascula 1, femin. 3—5 elongatis cylindraceis laxifloris in pedunculo lævi valido erectiusculis v. demum nutantibus, squamis ovatis acutis serrulato-mucronulatis perigynia ovali-ovata substipitata subsuperantibus, stigmatibus 2-3.

Grönland! Vahl.

Radix ut affinium. Culm. erectus strictus, acutangulus scaberrimus v. scabriusculus. Fol. erecta latissima

scaberrima. Spica ♂ interdum altera rudimentaria basi augetur, sæpe quoque basi feminea est (in uno specimine sp. terminalis mere feminea), oblongo-clavæformis. Squamæ ♂ obovato-oblongæ acutiusculæ muticæ raro mucronatæ, atrofuscae nervo pallido. Spicæ ♀ inferiores pedunculatæ, summa subsessilis. Bract. inferiores foliaceæ scaberrimæ basi biauriculatæ auriculis atosanguineis confluentibus amplectentibus, infima culmum subæquans, sequens spicam ♂ subattingens, tertia setacea spica sua sublongior. Pedunculi plerumque validi spica sua breviores, in nonnullis tamen tenuiores et longiores, ocrea atosanguinea instructi. Squamæ ♀ atro-sanguineæ tenuissime punctulatæ nervo tenuissimo discolore, ovatæ, acutæ serrulato-aristatæ v. muticæ, perigynia fere tegentes et superantes. Perig. obsolete nervata decolora stramineo-viridia, rostro brevissimo integro. Stylus brevissimus vix exsertus, stigmata 2, rarius 3, longissima. — Variat foliis angustioribus, squamis ♂ et ♀ magis rotundatis, spicis ♀ omnibus pedunculatis, superioribus apice masculis.

Species pulcherrima, ab altera parte *C. saxatili* et *C. hyperboreæ*, ab altera *C. filipendulæ* cet. affinis. A *C. saxatili* differt spicis longius pedunculatis, magis elongatis, squamis sæpe mucronulatis, perigyniis subnervatis cet. A *C. filipendula* spicis suberectis, rarifloris, elongatis, pedunculis semper brevioribus et validioribus, squamis brevioribus, culmo scabro v. scaberrimo. *C. Lyngbyei*, macrochæta, maritima facile dignoscuntur squamis longissime aristatis. *C. recta* Boott. (l. c. p. 220 t. 222) differt spica ♂ brevi cum femineis superioribus æqualta, culmo modo superne scabro. *C. aperta* Beott. (l. c. p. 218. t. 219) similior videtur, sed differt rostro bidentato,

perigynio orbiculato eet; hæc quoque a cl. autore cum *C. cæspitosa* comparatur, cui nostra nimis dissimilis est.

36. *C. filipendula* Drejer.

Spicis ♂ binis, femineis subternis densifloris in pedunculo gracillimo lævi pendulis, squamis ovatis acutis mucronulatisve perigynia ovalia v. obovata obsolete nervata superantibus, stigmatibus 2.

α *variegata* elegantior et gracilior, spicis femineis ovato-oblongis, squamis atosanguineis perigyniis flavo-viridibus ovato-obovatis.

C. frigida herb. M. Vahl! (specimina a beato Mohrio ex Islandia communicata).

C. fuliginosa herb. Hornem.! (specimen Rabenianum) et? Plantel. Ed. 3. I. 944 (excl. diagn. descript. et synon) planta juvenilis.

? *C. Pseudo-Cyperus* Koenig in Müller Enum. l. c. et Auth. sequ. (planta fructifera spicis squarrosis).

C. Steenstrupii Liebm.! in herb. Hornem. et ad amicos.

C. filipendula Drej. in Fl. Dan. ined!

Island! Steenstrup ("species in paludibus et pratis vulgatissima").

β *littoralis* humilior, spicis magis elongatis cylindraceis concoloribus (squamis perigyniisque fuscis).

Island! Steenstrup ("in pratis littoralibus").

γ *concolor* major et robustior, spicis cylindricis concoloribus, perigyniis ovatis v. obovatis.

C. maritima Hornem.! l. c. II. p. 273 e Groenl. (excl. citat. ad I).

? *C. cryptocarpa* C. A. Mey. Cyp. nov. p. 226. t. 14.

? *C. Romanzowiana* Cham. in herb. Hornem.

Grönland! (sinus Igalliko) Vahl.

Species elegantissima, vix in plures divellenda. Rad. eximie stolonifera (præcipue in γ .) squamis fuscis obducta.

Culm. triqueter scabriusculus. **Fol.** culmo paullo breviora plana acuminata marg. scabrata. **Spicæ** ♂ subclavæformes, femineæ sæpe apice masculæ. **Bract. inf.** foliaceæ culmum subæquantes basi brevissime vaginantes, pedunculum lævissimum gracillimumque cum parva sua ocrea atosanguinea includentes. **Squamæ** ♂ obovato-spatulatæ fuscæ acutæ v. acuminatæ aristulatæ, squamæ ♀ mucrone serrulato brevi apicatæ! v. acutæ muticæ, maturitate squarrosæ, perigyniis longiores et angustiores. **Perigynia** plano-subconvexa v. biconvexa rostro brevissimo pertuso. **Caryopsis** conformis. — Forma α omnibus partibus gracilior et elegantior, spicis ♀ paucioribus (ultra 3 non vidi) magis densifloris brevioribus, ex atosanguineo et flavo-viridi eleganter pictis, ante florescentiam autem omnino-atrosanguineis.

Inter tristigmaticas *C. limosa* et *irrigua* similitudinem quandam cum hac (præsertim cum forma α) ostendunt, quæ tamen ceterum satis diversæ sunt squamis muticis, pedunculis brevioribus, stigmatibus 3 cet. *C. magellanica* Lam. affinis quoque est, et hanc gregem cum *C. atrata* conjungit; differt autem abunde stigmatibus 3 et spicis lateralibus basi (non apice) masculis. Inter distigmaticas affinis nostra est *C. hæmatolepidi* D., *Lyngbyei* Hornem., *macrochætæ* C. A. M., *cryptocarpæ* Mey., *Romanzoffianæ* Cham., *sitchensi* Presc., *excurrenti* Cham., quæ omnes una cum hac gregem naturalem specierum arctissimo vinculo inter se conjunctarum efficiunt. — Quomodo *C. hæmatolepis* differat, supra indicavi. *C. Lyngbyei*, *macrochæta* et *maritima* a nostra differunt ut a *C. hæmatolepide*. *C. cryptocarpa* C. A. Mey., a qua *C. Romanzowiana* Cham. differre non videtur, cujusque specimina non vidi, nostræ (imprimis formæ γ) nimis forsitan affinis est;

sed ex descriptione et icone differt pedunculis sublævibus (non lævissimis), squamis muticis perigynia duplo-triplove superantibus omninoque tegentibus. Hæc autem differentia, ubi specimina utriusque plantæ et ejusdem evolutionis (in *C. cryptocarpa* v. c. perigynia forsitan nimis juvenilia), comparata erunt, olim forsitan evanescet. Sed planta *Meyeri* luculenter modo nostram formam γ repræsentat. Inter α et *cryptocarpam* similitudo minor esse videtur; nomen quoque *C. cryptocarpæ* a facie plantæ maturatæ nimis abhorret, quia perigynia tum minime teguntur, sed contra squamas reflectunt, ita ut tota spica omnino squarrosa reddatur. Necesse quidem non est, nomina specifica characterem plantæ exprimant, sed cavendum certe, ne ad falsam speciei imaginem ducant *). — *C. sitchensis* Presc. (Boott. l. c. t. 221) præsertim differt pedunculis multo brevioribus et validioribus, spicis cum tota planta robustioribus, nec convenit, quod affert cl. Bongard (Obs. vég. Sitch. p. 51): "habitus partim *C. acutæ*, partim *C. paludosæ*." *C. excurrens* Cham. in herb. Hornem. differt squamis inferioribus perigynia sua superantibus, superioribus perigynio suo brevioribus, perigyniis (immaturo) enerviis longius

*) Dum hoc imprimitur, cl. Kunze, cui specimina misi, per litteras ne certiore facit, nostram plantam a *C. cryptocarpa* *C. A. Mey.* specie non differre. — Quum nomen *C. filipendulæ* supra jam nominatum sit quumque plantam sub hoc nomine cum nonnullis communicaverim, quum denique nomen *C. cryptocarpæ* non satis aptum mihi videatur et ad falsam speciei imaginem necessario ducat, hoc loco meum mutare noli; si autem Botanicis rejiciendum visum erit, ego sane alteri, prius a Caricographo bene merito proposito, lubenter meum postponam.

rostratis. — Cæterum, ut jam sub *C. hæmatolepide* annotavi, ipsa *C. hæmatolepis* gregem nostram cum grege *C. saxatilis* conjungit; differentias autem, quæ inter has et illas sunt, fusius hoc loco exponere necessarium non visum est.

37. *C. Lyngbyei* Hornem.

Spicis masculis sub2, femineis 3 in pedunculo longissimo gracili pendulis flaccidis, squamis ♂ lanceolatis arista longissima serrulata cuspidatis perigynia (immatura) obovata valide costata multo superantibus, stigmatibus 2.

C. Lyngbyei Hornem. Fl. Dan. t. 1888. Ejusd. Plantel. Ed. 3. II. p. 276.

Færø! Lyngbye.

Non nisi dua specimina incompleta et male conservata in herbario Hornemanni exstant, quorum alterum spicas ♂ 3 habet, ♂ 2, alterum femineas 6, terminali basi flore masculo unico (v. 2?) instructa. — Rad. deest (in Hornem. Plantel. l. c. fibrosa dicitur, vix recte! sine dubio affinium more stolonifera vaginata). Pedunculi gracillimi flaccidi infimus supra basin et extra vaginulam ocrea atro-sanguinea instructus. Spicæ lineares elongatæ. Squamæ atro-violaceæ. Bractea infima vaginulata culmum superans, superiores longitudine decrescunt. Perigynia immatura obovato-cuneata griseo-fusca.

A *C. filipendula* facile distinguitur aristis longissimis serrulatis. *C. maritima* Müll. jam colore lutescente dignoscitur. *C. salina* differt spicis breve pedunculatis masculis pluribus, perigyniis obsolete nervosis. *C. erinita* Lam. distincta est colore viridi, perigyniis nervosis vel (ex Kunth) binervibus. *C. macrochaeta* C. A. Mey. (Cyp. nov. t. 13) affinior videtur, sed bene differt

perigyniis obsolete nervosis superne hispidis, aristis etiam longioribus, pedunculis brevioribus, spicis non nisi ternis.

Nostra species a Cl. Kunth (Cyperogr. p. 523) satis infauste ponitur inter species quoad stylorum numerum incognitas, citatis tamen figura fl. D. quæ stigmata bina clare ostendit, et diagnosi Hornemanni "stigmatibus binis!" addita insuper interrogatione: "an forma distyla C. frigida?" (!)

38. *C. capillipes* Drejer.

Spica mascula 1, femineis 2-3 in pedunculo longissimo scabro flaccidis rarifloris; squamis ovatis acutis mucronatis perigynia subovata superne margine scabrida superantibus, stigmatibus 2.

Island! Steenstrup.

Rad. deest. Culmus triqueter superne scaber. Fol. margine scaberrima. Spicæ remotæ, terminalis erecta, mascula v. simul basi feminea, oblongo-lanceolata. Squamæ masc. oblongo-obovatæ. Spicæ fem. elongatæ. Bracteæ elongatæ foliaceæ culmum æquantes v. superantes scaberrimæ, evaginatæ v. infima longe vaginata, vagina antice membranacea. Pedunculus basi ocrea colorata instructus. Squamæ ♂ atro-fuscae nervo angustissimo dilutiore scabrato excurrente. Perigynium lutescens obsolete nervosum rostratum, rostro subintegro. Stylus cum stigmatibus intra perigynium inclusus.

Proxima *C. filipendula* facile dignoscitur pedunculis lævibus, spicis densifloris, perigyniis lævibus cet. *C. rariflora* Sm. haud ita absimilis est, quam e diagnosi crederes; luculenter autem differt stigmatibus 3, spicis (approximatis) bracteis pedunculisque (lævibus) multo brevioribus, squamis lato-ovatis, obvolventibus, ligula elongata

cet. Præter has nullam scio, cum qua nostram comparare necesse esset.

39. *C. rariflora* Sm.

C. rariflora Sm. Hartm. Skand. Fl. Ed. 3. p. 222, Engl. bot. XXXV. tab. 2516. Hornem. l. c. I. p. 946.

C. livida Hornem. l. p. 946. (quoad loc. groenl.)

Island! Steenstrup. Grönland! Vahl.

Species hæc nitida squamis latis perigynium basi involventibus imprimis excellit. Folia breviter plana. Bracteæ vaginulatæ, vagina antice membranacea in ligulam elongatam, rotundatam v. emarginulatam protracta. — Florifera spicas suas erigit, quo statu *C. lividæ* haud absimilis, et sine dubio pro hac, in Groenlandia non inventa et vix invenienda, habita est.

40. *C. irrigua* Sm.

C. limosa β *irrigata* Wahlenb. fl. lapp. p. 243 tab. 15 f. 2. Fries herb. norm. fasc. 2. no. 71.

C. limosa β *irrigua* Hartm. Ed. 2. p. 255; Ed. 3. p. 222.

C. irrigua Sm. — Koch Synops. fl. germ. et helv. p. 757.

Island! Mörch in herb. Hornem. (Steenstrup non obvia)!

In herbario Hornemanni 2 specimina senescentia ex hoc loco adsunt, quæ exactissime cum speciminibus authenticis Wahlenbergianis congruunt. Species sine dubio distinctissima est, quæ foliis latis planis, perigyniis ovalibus nervosis! (negante Kochio) trigonis stipitatis, rostro brevissimo latiusculo bidentulo, caryopside triquetra cet. excellit. Specimina americana majora et vegetiora sunt, quum ulla europæa, quæ vidi.

41. *C. limosa* L.

C. pallescens Müll. Zoëga. Mohr isl. (sec. cl. Steenstrup).

Island! Steenstrup.

Bracteæ brevissime vaginulatæ, vagina antice truncata, excisa v. fissa, sæpe fere nulla. Perigynia elliptica tenuissime punctulata rostro edentulo.

Obs. In alleganda synonymi loco *C. pallescente* florist. Island. lubenter acutissimo peregrinatori assentior. *C. pallescens* enim nemini eorum, qui seriore tempore Islandiam visitaverunt, obvia fuit, quamquam a Mohrio (l. c. p. 213) "satis frequens in turfosis" dicitur; Mohrius quoque nomen "Hringa-Stör, Hringa-Brok," quo sæpe *C. limosa* ab Islandis insignitur, *C. pallescenti* tribuit. *C. limosa* autem, quæ "in turfosis" secundum cl. Steenstrup satis frequens est, Mohrio, quantum ipse scivit, non occurrebat.

42. *C. ustulata* Wahlenb.

C. atrofusca Hornem. l. c. p. 946. Fl. D. t. 1590 (color nimis dilutus).

C. ustulata Fries herb. norm. fasc. 5. no. 88. Hartman Skand. Fl. 1 c. p. 222.

Island? (Schkuhr Handb. IV. p. 114).

Nisi accuratissimus Schkuhrus, cui certe in caricologicis major fides habenda est, quam ceteris ejus temporis floristis, ipse dixisset, se specimina islandica (a Koenigio lecta) hujus speciei examinasse, potius credidissem, specimina juniora nondum florentia *C. filipendulæ* α ut hæc determinata esse. Neque Steenstrupio neque alii observatori mihi cognito in Islandia obvia fuit. In Groenlandia quoque non lecta est.

B. Perigynium in rostrum integrum, v. hyalino-bilobum, v. bidentatum attenuatum.

a. Bractæ vaginantes.

43. *C. vaginata* Tausch.

C. depauperata herb. M. Vahl! Hornem. l. c. Ed. 2 p. 829. Hartm. Skand. Fl. Ed. 1. (1820) p. 36 (excl. syn. Engl. Bot.)

C. triflora M. Vahl.

C. panicea Müll. Enum. isl.

C. panicea y *pauciflora* Wahlenb. fl. svec. 1063.

C. vaginata Tausch Flora bot. Ztg. 1821. p. 557. Fries novit. fl. svec. mant. 2. p. 58.

C. curvirostra [Hartm. Skand. Fl. Ed. 2. (1830) p. 254. Ed. 3. (1838) p. 221. (teste Fries).

C. fulva fl. Dan. t. 1768!

Island! Steenstrup. Grönland! Vahl.

A *C. panicea* L. bene distincta videtur, imprimis spica mascula sub anthesi refracta. Cæterum haud parum variat: fol. angustioribus et latioribus (formam latifoliam cl. Tausch bene cum *C. plantaginea* comparavit), forma spicæ ♂ brevi v. elongata (semper autem clavæformi), longitudine bractearum (in specim. groenl. bractæ admodum foliaceæ, infima spicam sequentem æquante, superiore spicam suam superante; in islandicis setaceæ v. anguste foliaceæ, spica sua sublongiores aut breviores), longitudine pedunculorum, forma squamarum muscularum, cæt.

44. *C. capillaris* L.

Færø Hornem. Island! Grönland!

Nitidissima hæc species sub duplici forma occurrit:

α tenuior, spicis subquaternis, terminali mascula, femineis sub6floris, perigyniis ellipticis substipitatis fuscis,

caryopside variegata, lateribus griseo-fusca, angulis albida.
— Island! Grönland!

β major et robustior (subpedalis) spicis suboctonis, terminali androgyna (apice v. rarius basi feminea) femineis sub10floris, perigyniis minoribus, pallidioribus longe stipitatis ovato-oblongis, caryops. concolore grisea. — Grönland!

45. *C. fuliginosa* Sternb. Hpp.

C. fuliginosa Hornem. l. c. p. 944 (diagn. et descr.; excl. loc.) Sturm Deutschl. fl. fasc. 47. Fries. herb. norm. fasc. 5 no. 89. Hartm. Skand. Fl. Ed. 3. p. 218.

C. atrofusca e Groenl. Hornem. l. c. p. 946?

C. misandra R. Brown. Fl. Melv. 283 (Verm. Sehr. I. p. 408. 462).

Grönland! Vahl.

Perigynia fusca basi viridescencia ore rostri albo (non margine albo cincta, ut in australi-europæis, cfr. Koch syn. p. 762).

b. Bractæ non vaginantes.

46. *C. præcox* Jacqu.

Færö! Lyngb. in herb. Hornem.

47. *C. supina* Wahlenb.

C. oligocarpa Hornem.! in Fl. Dan. t. 2171. Plantel. Ed. 3. II. p. 270.

Grönland! Vahl.

Specimina groenlandica a germanicis differunt non nisi spica magis castaneo-fusca, spica mascula tenuiore, caryopside obovata (in germanicis elliptica). — Stolones longissimi.

48. *C. pilulifera* L.

β deflexa.

C. deflexa Hornem. l. c. p. 938.

C. varia β minor Boott! l. c. p. 223.

C. novæ Angliæ Torr. et Schwein. Caricogr. p. 57 (forma distigmatica) fide Boott.

Grönland! Wormskj. Vahl.

C. deflexa Hornem. ab europæa pilulifera differt non nisi statura humiliore et graciliore, colore pallidiore, spica mascula brevior ad latus retorsa, interdum deficiente. Tales formæ autem, monente cl. I. Vahl, in eadem radice cum vulgari forma interdum inveniuntur. — Forsitan nostra planta rectius cum *C. varia* Mühlenb. conjungitur; quomodo autem *C. variam* a *C. pilulifera* distinguam, neque ex descriptione neque ex speciminibus eruere possum.

49. *C. pedata* Wahlenb.

C. pedata Wahlenb. fl. lapp. p. 239, t. 14, Sv. Bot. X, t. 684. Fries, herb. norm. V, no. 84!

Grönland! Vahl.

Folia culmo fere duplo breviora scaberrima, apice marcescente *C. rupestris* more circinato-involuta. Radix fibrosa densissime cæspitosa nec ita rhizomatis ad instar ut in icone citata fl. Lapp. elongata. Planta Friesii autem exacte nostra.

C. Perigynii rostrum distinctum, emarginatum v. hyalino-bilobum v. tandem distincte bidentatum bifidumve.

a. *Bractæe* vaginantes. *Species minores.*

50. *C. Oederi* Retz.

Carex Oed. in Fl. D. t. 371.

C. Oederi Hornem, l. c. p. 939. Fries herb. norm. V, no. 85.

C. demissa Hornem. ! fl. D. t. 1342 (juvenilis).

C. flava ex Isl. et Grönl. Hornem.

Island? Grönland! Vahl.

Nonnisi pauca specimina in Groenlandia legit cl. Vahl.
Ex Islandia specimina non vidi.

51. *C. flava* L.

Færö! Lyngbye in herb. Hornem.

52. *C. binervis* Sm.

β *alpina* humilior spicis paullo brevioribus.

C. vesicaria β *alpina* Lyngb. ! in herb. Hornem.

Færö ad Quivig! Lyngbye.

Hujus plantæ modo 2 frustula male conservata in herbaria nostra deposuit Lyngbye, quæ tamen satis luculenter probant, plantam hujus floræ civem esse.

b. Bractæ non vel brevissime vaginantes. Species majores.

53. *C. pulla* Good.

Færö! Lyngb. Island! Grönland!

α *picea* spicis $\varnothing$ rotundatis piceis nitidis, squamis ovatis obtusiusculis, masculis obovato-spatulatis apice rotundatis, perigyniis magis squarrosis. (Stigmata 2. rarius 3!)

Island! Steenstrup. (Similem formam aliunde non vidi).

β *fusca* de toto magis elongata; spicis longioribus ferrugineo fuscis, squamis margine et apice hyalinis masculis lanceolatis acutiusculis, femineis ovato-lanceolatis acutiusculis perigynio brevioribus, perigyniis magis arrectis.

C. pulla Engl. bot. XXIX. t. 2045! Hartm. l. c. p. 220.

Fries herb. norm. III. no. 74!

C. rotundata Hornem. Fl. D. t. 1407 (tristyla)

C. globularis M. Vahl! herb. ex parte.

Island! Grönland!

Specimina groenlandica in universum duplo-triplove majora et robustiora quam islandica, cæterum eximie variabilia, ita ut vix crederes, ad unam eandemque speciem ea pertinere. Occurrit culmis semi-et bipedalibus, spicis ♂ 1-2-3 approximatis et valde remotis, rotundatis, ovatis acutiusculis et elongato-cylindricis obtusis, squamis obtusis perigynio brevioribus et acutis ea superantibus, stigmatibus 2 et 3! cet. — Stylus modo rectus, modo basi flexuosus. — A speciebus distylis, v. c. *C. saxatili* cet. abunde differt hæc species fabrica perigynii, sed per duas sequentes recta via abit in *C. vesicariam* et *ampullaceam*, ita ut satis difficile sit, notas distinctivas certas eruere, quamquam formæ extremæ ab invicem facile cognoscuntur.

54. *C. rotundata* Wahlenb.

C. rotundata Wahlenb. fl. lapp. p. 235. Hartm. l. c. p. 223. Fries herb. norm. III. no. 76!

C. globularis herb. M. Vahl! ex parte.

Grönland! Vahl.

Inter hanc et præcedentem nullam aliam veram differentiam invenire possum, nisi folia in hac involuto-filiformia, in illa plana. Numerus enim stylium, qui in hac ternarius, in illa binarius esse debet, certissime variat; in multis speciminibus, distinctissime planifoliis et ergo ad *C. pullam* pertinentibus, omnes flores stigmatibus ternis præditos vidi. Cæterum habitus nihil omnino diversus est, et potius crediderim, hanc nihil esse nisi formam *C. pullæ* foliis involuto-filiformibus præditam; in sylvâ enim speciminum *C. pullæ*, quam e Groenlandia retulit am. J. Vahl, nonnulla sunt, quæ folia omnino plana habent,

alia folia marginibus subinvoluta, alia distincte filiformia. Nescio num statio v. modus crescendi meliores distinctiones præbeat; sed dubito.

55. *C. hymenocarpa* Drej.

C. membranacea Hook, non Hopp. — Boott. l. c. p. 220.
Dewey in Sillim. Amer. Journ. XXIX. p. 247. tab. X. f. 73 (mala).

C. rotundata e Groenl. Hornem, l. c. II. p. 275 ex Boott.

C. ampullacea β *borealis* Hartm. l. c. p. 223.

? *C. stenolepis* Lessing Reise nach d. Loffod. p. 301.

? *C. ochroleuca* Cham. in herb. Hornem.

Grönland! Vahl.

Etiam hæc species ægre a præcedentibus distinguitur, quas cum sequentibus conjungit. A *C. pulla* differre videtur statura multo robustiore, foliis latioribus, rostro perigynii longiore, bracteis majoribus spicis masc. 2; a *C. rotundata* foliis non filiformibus; a *C. vesicaria*, proxima forsan, squamis latis ovalibus obtusis coloratis, spicis ♂ 2 (in *vesicaria* 3—4), perigyniis ovali-ellipticis stipitatis brevius et abrupte rostratis, foliis margine involutis non omnino planis, bracteis multo brevioribus et angustioribus culmum subsuperantibus (in *C. vesicaria* culmum longe superant). *C. ampullacea* differt culmo obtusangulo, foliis glaucis canaliculatis cet. — De identitate *C. stenolepidis* Less. paullo incertus sum; specimina pauca ut videtur authentica vidi in herb. I. Vahlia Blyttio data; minora sunt quam hæc et folia nimis plana. *C. ochroleuca* Cham. (ex Unalaschka) quantum ex unico specimine concludere licet, paullulum differt foliis brevioribus spicas non attingentibus, perigyniis enerviis, dentibus

rostri multo brevioribus. Hæ duæ, quas proxime nominavi, formæ mihi videntur transitoria inter *C. pulla-rotundatam* et *C. hymenocarpam*.

Squamæ ♂ obovato-cuneatæ obtusæ. Stylus basi eximie flexuosus. Stigmata 3, rarius 2.

56. *C. vesicaria* L.

Grönland! Vahl. Island? Færö?

Perigynium ovato-conicum estipitatum, rostri dentes longiores. Squamæ ♀ ovato-lanceolatæ perigynio angustiores et subbreviores (rostri basin attingentes). Stylus basi eximie flexuosus.

57. *C. ampullacea* Good.

C. ampullacea Hornem. l. c. p. 952. Fl. D. t. 2248.

C. rostrata et? *obtusangula* Rafn, Danm. og Holst. Fl. I. p. 484.

C. obtusangula Schum. enum. I. p. 276.

C. vesicaria? Mohr. isl. Landt. Fær.

C. riparia? Trevel. Fær.

Island! herb. Hornem. Grönland! Vahl.

Obs. I. Sub hac specie placet annotationem collocare, quæ ad synonymiam Veterum, qui de Caricibus borealibus scripserunt, spectat. Sententia est cl. Steenstrupii, *C. filipendulam* α eam plantam esse, quam suam *C. vesicariam* intellexit Mohrius. Rationes ejus hæ sunt. *C. filipendula* in iis Islandiæ regionibus, quas adiit Mohrius, admodum frequens est, et occurrit in omnibus pratis et paludibus, quare ab observatore illo vix præteriri potuit. A Mohrio etiam lecta est, specimina enim ab eo data in herbario Vahliano asservantur. Sed Mohrius nullum nomen enumerationi suæ inseruit, quod in-

digitare possit, hanc esse intellectam. Caricem limosam non nisi Koenigio autore indicat, ipse eam non vidit. Quum *C. filipendula* insuper, secundum Steenstrup, sæpe permagna evadat, haud incredibile videtur, Mohrium illo modo errasse. Mohrius porro insulas Færøenses visitavit, unde etiam *C. vesicariam* citat (cfr. *Isl. Naturh.* p. 214) quam eandem Landt inter færøenses enumerat; hæc tum species *C. filipendulæ* affinis esse debet, clare enim elucet, utrumque de eadem planta locutum esse. Sed quum *C. filipendula* in ins. Fær. non lecta sit, nulla alia præter Caricem *Lyngbyei* cum ea commutari potuit, ad quam tum *C. vesicaria* synonymi loco pro his insulis referenda erat. — Multo autem probabilius mihi videtur, *C. ampullaceam* a Mohrio ut *C. vesicariam* esse determinatam; hanc enim, ut disertis verbis dicit, ipse cl. Hookerus ex Islandia vidit, ejusque specimen ex eadem terra in herbario Hornemanni exstat; botanici autem veteres eam, tum nondum descriptam, ad proximam *C. vesicariam* necessario ducebant. Ipse Steenstrupius fatetur, se cæspites magnos steriles e longinquo in stagnis vidisse, quas pro *C. ampullacea* habendas esse ego quidem opinor. Ad hanc igitur *C. vesicariam* Mohrii duco; et vera igitur *C. vesicaria* L. civis Islandiæ admodum incerta est. — Si ita recte opinatus sum, altera ex his sine ullo dubio in insulis Færøensibus crescit, quod insuper probat Trevelyan, qui sane neutram enumerat, sed *C. ripariam* Good., cum qua facilius has quam *C. Lyngbyei* confundere potuit. Utrum sit *C. vesicaria* an *ampullacea*, hoc sane dijudicare nequeo.

Obs. II. In revisione jam ad finem perducta ita 57 species recensentur, quas ipse ex terris illis borealibus vidi, paucissimis exceptis, quas Schkuhrio autore allato

enumeravi. In Groenlandia 41 species observatæ sunt, omnes a me visæ, in Islandia 27, quarum ego non nisi 23 vidi, in insulis færoensibus 16, quarum 3 dubiæ adhuc cives sunt.

Groenlandia 23 species alit, quæ in duabus ceteris terris nondum inventæ sunt. Sunt autem hæ C. gyno-crates, Wormskjoldii, nardina, ursina, duriuscula, festiva, pratensis, rufina, bicolor, holostoma, nigrیتella, subspathacea, reducta, stans, hæmatolepis, fuliginosa, supina, pilulifera, pedata, Oederi, rotundata, hymenocarpa, vesicaria; quibus forsitan adhuc C. rupestris et glareosa adnumerandæ sunt.

Islandia 7 sibi proprias habet, quæ sunt C. pauciflora, chordorrhiza, anguillata, capillipes, irrigua, limosa, ustulata; quarum tamen pauciflora et ustulata paullulum dubiæ sunt.

Insulæ Færøenses 7 species præbet, quæ in Groenlandia et Islandia nondum lectæ sunt. (C. pulicaris, leporina, salina, Lyngbyei, præcox, flava, binervis).

Islandiæ et Groenlandiæ 18 species communes sunt (C. rupestris?, capitata, microglochin, incurva, glareosa?, lagopina, canescens, Vahlīi, atrata, cæspitosa, saxatilis, hyperborea, filipendula, rariflora, vaginata, capillaris, pulla, ampullacea).

Islandiæ et insulis Færøensibus 10 (C. dioeca?, incurva, canescens, stellulata, cæspitosa, saxatilis, hyperborea, capillaris?, pulla, ampullacea).

Groenlandiæ et ins. Færøens. 9 (nuper nominatæ, excl. C. dioeca).

Omnibus terris hic examinatis non nisi 8 species communes sunt (eædem, excl. *C. stellulata*).

Non autem dubito, quin olim, ubi floras islandicam et præcipue færöensem æque bene cognoverimus ac floram Groenlandicam, hæ relationes nonnihil mutandæ sint.